B. N. C.
FIRENZE
1033
20

1033.20

III
1) BELS

MISCELLANEE
1033
20
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE

20

XXVIII

xiii 7

L XXXVII
de RVBEIS

1033.20

AI

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D. D.

JACOBO ANTONIO MORIGIA

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO PATRITIO MEDIOLANENSI

SACRAM PVRPVRAM HOC ELOGIO

DICTO IN APATHISTARUM ACADEMIA

GRATULATUR

MARCUS DE RUBEIS

S. T. D. & Acad.

SUB AUSPICIIS

ILLUSTRISSIMI DOMINI

ALOYSII DE PAZZIS.

FLORENTIÆ, MDCXCVIIII.

Ex Typographia Petri Matini. *Superiorum permiſſu.*

1033.20

ILL.ME DOMINE.

EMinentiſs. ac Reverendiſs. Card. JACOBI ANTONII MORIGIÆ Archiepiſcopi Florentini intima cum clariſſimo tuo Sanguine æquè ac Virtute Familiaritas: & Apathiſtarum Academia, in qua Sereniſs. M. D. E. COSMI III. Auguſti Protectoris Vicarias cum dignitate geris Vices, duplici fuerunt in cauſa, cur Tibi, Illuſtriſſime ALOYSI, huiuſmodi Inſcriptio-

nem inſcriberem. Hinc ego quamquam ſim inter Apathiſtas Academicus omnium minimus, & Eminentiſſimi Archiepiſcopi noſtri Famulus humillimus, eiuſque Dignitati ſubiectus in ſpem vocor futurum ut, ampliſſimum tuum Nomen Ornamentum ingens Inſcriptioni conciliet, Scriptori præſens Patrocinium. Vale.

Du-

ELOGIVM.

DUBIA FIDES
Quod Phœnix Avium Sol
Solis inſtar Aſtrorum Phœnicis
Alius & Idem
In Occaſu ſortiatur Ortum,
Et ſuis in Cineribus Vitam auſpicetur;
Dubia Fides.
Phœnix non ementitus eſt Bombyx.
Mori frondibus hic enutritus
Staminis pretioſi Textor
Tumulum ſibi texit an Cunabulum?
Serico de ſepulcro redivivus
Mirabili neque ficta metamorphoſi
In Avem vitæ ſuæ ſecundam immutatur.
JACOBUS ANTONIUS MORIGIA
Patritius Mediolanenſis
Nepos Avorum Illuſtrium.
Virtutibus domeſticis addidit & addit ſuas,
Nihilo minor Magnis Majoribus;
Annoſam Claræ Gentis Arborem
Literarum, Armorum & Sanctitatis Laureis gravem

Virtutum heres ut Sanguinis
Meritis onerat, ornat Dignitatibus,
Infans cum lacte virtutem hauſit,
Probitatis, & Doctrinæ crevit in exemplar:
Integer Vitæ ſceleriſque purus Adoleſcens
Mundi peroſus illecebras
Sacro BERNABITARUM Clauſtro prudens occluditur.
Hinc aſſurgit in Avium Regnatricem Aquilam.
In magnarum alarum Aquilam etiam evaſit
Ob heroicas animi Dotes
Alter Jacobus Antonius Morigia
Illuſtriſſimæ Bernabitarum Familiæ princeps Inſtitutor:
An non Atavi Dotes Eminentes, ut nomen æmulatur
Nepos Eminentiſſimus?
Coronatus Ales
Virtutis & Sapientiæ geminum Solem
Inconniventibus intuetur oculis:
Morum candorem in dies ebibit & mentis perſpicuitatem.
Aquila Gentilitiæ inſidet Arbori.
Suis Oraculis juxtà veris ac ſapientibus,
Et Quercus Dodoneæ Columbas,
Et Magiſtros Hereſum ac Vitiorum
In Pulpitis Orator, in Cathedris Doctor
Men-

Mendacii arguit & Inſcitiæ.
Stygias has volucres
Ex Eccleſiæ finibus eliminavit.
Sic Aquila fœtus non ſuos
Quia radio Solis impares.
Amœniores Literas ac Severiores didicit ac docuit.
In FERDINANDI Magni Principis Etruriæ Magiſtrum,
In COSMI III. Magni Ducis Theologum adſciſcitur.
Sereniſſimos hos Principes
Humanis Diſciplinis erudit, & Divinis.
Et totam Etruriam erudit.
Exantlati cum plauſu laboris duplex Præmium,
Sancti Miniatis Infula: Florentinum Pedum:
Utriuſque Dignitatis Præmium majus
Romana Purpura:
Quid ni Purpuræ Præmium
Vaticani Corona Triplex?
Meritorum gradibus
Summos Eccleſiæ Cardines attigit,
Si ab INNOCENTIO XII.
Æquo meritorum Judice
Latino donatur Oſtro.
Citra Fabulam,

Atlas Orb Chriſtiani Pontifex, Purpurati Patres Hercules.
Hi Latini Senatus Heroes
Monſtra Monſtris Herculeis longè pejora,
Hereſes & Vitia æquè domant & perdunt.
Si quando Sacer quieſcat Atlas, Sacri ſuccedunt Hercules:
Onus Angelicis humeris formidãdum cum Dignitate ſuſtinẽt,
Romani poſt Atlantis obitum,
Ex his aliquis Alcides cedit in Atlantem.
Fortunatum hunc eventum in MORIGIA
Roma ſperat, & Florentia.
MORIGIÆ leve negotium
Totius Orbis moderamen.
Senos Etruſcos Orbes Univerſo pares Orbi
Conſiliis & Doctrina feliciter eſt moderatus.
Ex Aquila nunquam non felix augurium.
Hanc inſpicio fortè non vanus augur.
Mediolanenſis hæc Aquila
Latinis Aquilis olim jungetur
Corona ſimplex incumbens Avis vertici
In triplicem evadet.
Brevius augurium, & planius.
Ex Paſtore Florentino Romanus Paſtor
MORIGIA.

Roma,

Roma & Florentia

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSI

JACOBO ANTONIO MORI...

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO

PATRITIO MEDIOLANENSI

Dignitatem Omnium Maximam

AUGURANTUR.

EPIGRAMMA.

DEbita Virtuti penduntur Præmia, veſtit
 Arni Paſtorem dum rubra Palla Tybris.
Ornet, an ornetur rutilans hæc Purpura, Virtus
 Atque ingens meritum quemque librare vetant.
Grande jubar Latio ſapiens ac integer Oſtro
 Affundit, Floræ Paſtor Amorque ſuæ.
Id Florentino Murex Romanus honoris
 Ex Paſtore bibit, ſperet ut ille Patrem.
Dicit læta ſuum Paſtorem Flora Latinum:
 Hic mihi Succeſſor, Præſul & Urbis ait.
Romanus quondam fiet MORIGIA Paſtor,
 Una voce Tybris clamat, & Arnus idem.
Has non Roma ſonat, non has Florentia voces,
 Has voces Meriti vox ſonat ipſa ſui.

VIA SOLIS
SIVE
ALOYSIVS
(ANAGRAMMA PURUM AC PROPRIUM)
IN APATHISTARUM ACADEMIA,
Cujus Inſigne Sol,
SERENISSIMI M. D. E.
COSMI III. PROTECTORIS
VICARIVS
De eadem Academia apprimè benemeritus.

EPIGRAMMA.

EDite Mecœnas atavæ de Sanguine Gentis,
Hujus Dulce Decus Præſidiumque Loci,
Auſpice Te, PAZZI, Muſarum hæc Regia dives,
Muſis ore, manu Tu facis Ingenium.
Noſter init curritque viam Sol clarior ultrà;
Nec jacet in tenebris, nocte dieque nitet.
Sol Apathiſtarum vires acquirit eundo,
Quid mirum? VIA ſi Solis ALOYSIUS.

Hæc

Hæc terrena Viæ Cœleſti non Via cedi
Et diſcrimen ineſt inter utramque Viam.
Quot Via Cœleſtis Monſtris eſt ſparſa? Viamq
Irradiat Virtus plus duodena tuam.
Cœleſtem ſplendore Viam Sol cœlicus ornat:
Terreno huic Soli dat Via grande jubar.

LAUS DEO.

SS 356754

Z
1033.20

1033.20

Angelo * Pandimiglio
restauratore
825650 * 8274800